



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Capvt I. Quòd liber creatus homo, in miserandam seruitutem semet
præcipitauerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

Quòd liber creatus homo, in miserandam seruitutem semet precipitauerit.



LIBEROS igitur nos condidit Deus, quòd iustos rectosque creauerit: ipsamq. hanc animi libertatem, in quadam etiam corporis dignitate voluit elucere: cùm sit homo statura celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alium ceterorum animantium more prostratus; sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cælum libero spectet obtutu, nulla captiuæ ceruicis seruitute depressus in terram. At dum ille suis inconsultiùs vtitur bonis, euênit quod Propheta deplorat: Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quod non solùm propter moriendi necessitatē scriptum est, quam in mundum, hoc est, in genus humanum, inuexit inobedientia, vt eam brutorum animantium in morem pateremur: verùm etiam propter vitiosos ac brutos affectus, quibus ad pecorum similitudinem, quæ natura prona ventriq. obedientia finxit, seruire homo cæpit: vt iam hoc videlicet audire debeamus, quod de Psalmis resonat: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In chamo & freno maxillas eorù constringe, qui non approximant ad te. Eam ob rem diuinæ literæ deprauatum vitis hominem, ac cælestis imaginis exutum ornamento, crebrò non hominem, sed aut serpentem, aut equum adhinnientem feminis, aut vulpeculam, aut iumētum, feramve aliquam belluam vocare consueuerunt. Atque hinc omninò iuxta Salomonis sententiam, vnus exitus homini & iumento.

Quidni enim, ait Bernardus, similiter exeat, qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirum si similem

Ecclesiast. 9.

Serm. 81. ad

Canticis.

fortiamur exitum, qui & simile habeamus introitum? unde enim hominibus nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperatus ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Itaque homo in conceptu & ortu, in vita & in morte, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid? quod libera creatura, inquit, sibi subditum appetitum non regit ut domina, sed sequitur & obsequitur ut ancilla? nonne & in hoc se assimilatur & annumeratur ceteris animantibus, quæ natura non in libertatem vocauit, sed condidit in seruitutem, suo ut ventri & appetitui obediret? Sic Bernardus. Et est ea quidem natura pecoris, cuius ut affectionibus agatur ac motibus impellatur. Verum ut præclare dixit Augustinus, tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis, natura sit pecoris. Hoc igitur corruptæ naturæ vitio, quod in imagine similitudo illa Dei splendidissima deleta est, serui effecti sumus, & libertatem innocentiam naturalis (ut Domini Leonis verbis utar) in vno omnes amissimus. Primum enim hominem (ait Innocentius primus) ita libertas ipsa decepit, ut dum indulgentius frenis eius vitur, in præuaricationem præsumptione concideret. neque ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis, statum pristina libertatis, Christi Domini reformasset aduentus. Hic libertatem, inquit Ambrosius, quam primò illi Adam tribuerat, reformauit, ut esset hominum genus sine lege seruitutis.

CAPVT II.

Quenam quantaq; sit peccati seruitus.

OMNIS autem hæc seruitus, quam primi culpa superbiaque parentis, genus vniuersum incurrit, tripartita est: propter peccati, mortis, ac diaboli dominatum; quibus vero & naturali Domino derelicto, tanquam alienis dominis, contra naturam mancipari cæpit.

Cap. 40. lib. de peccato origin.

In Epistola Cælestini pro Prospero & Hilario, cap. 7.

Lib. 3. in Luc.